

3+4/83

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXIII



RVMOR VARIVS



TOMUS 6

FASC. 40

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in aedi-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 18.--
In Austria	ÖS 130.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:
(jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 18.--
Oesterreich	ÖS 130.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes,


Epistulam nuper a Magno Moser in vico Düdingensi (Düdingen, Kanton Freiburg) habitante accepi. Qua nuntiavit se magistrum discipulos linguam Latinam docentem esse. Epistulae iocos VIII addidit, quos origine Germanicos a discipulis in sermonem Latinum verti iusserat. Quam bene discipuli munus sibi propositum solverint, facillime intellegitis, si eorum conversiones in hoc libello sub titulo "Facete lepideque dicta" legeritis. Cuius generis fabulae maxime dignae videntur, quas publicemus in Rumore Vario! Gaudeo, quod preces meae - prioribus libellis saepius repetitae! - non modo aures legentium intraverunt, sed quasi semina patienter sata fruges gratissimas proferre incipiunt!

Iterumque vos oro, cari legentes, ut hoc exemplum a discipulis Düdingensibus statutum imitemini! Mittite nobis fabulas alacres Rumore Vario publicandas. Ita efficietis, ut libellus noster semper cuique legenti aliquid ferat, ex quo legendo voluptatem capiat.

Curate valeatis!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann



Litterae ad editores

Dabam Wettingiae, die
XXII^o mensis Februarii
AD MCMLXXXIII

Cari scribentes,

Nolite inertiam scribendi nostram vituperare, quoniam ars Latine scribendi magistris professoribusque perfacilis, discipulis autem difficillima esse videtur!

Alii discipulorum non satis progressi sunt, quamvis mature scire sperent, alios eorum tempus epistularum scribendarum deficit, quia illis probatio maturitatis mox facienda erit.

Nihilominus Rumor Varius omnibus nostrum magno gaudio est! Facete dicto pro Rumore Varo vobis gratias agere conor - ad maiorem gloriam discipulorum pigrorum.

Valete!

Ursula Schwenk
Discipula

Divitiae obligant

Aliquando domina obesa divitissimaque domum sedilibus antiquis ornare voluit. Mercator rerum antiquarum: "Haec sedilia Ludovici XV^o (Louis XV) non solum pulcherrima sed etiam pretiosa tibi certo placebunt, domina honesta." - Illa, in unum sedilium assidere frustra conata: "Venustissima", inquit, "nisi angustiora essent. Quam ob rem sedilia Ludovici XVI^o praeferrem."

Discipula

Specimen institutionis Latinae

In nostris ludis Latinis nonnumquam fit, ut discipuli non tantum auctores Latinos in nostrum vertere sermonem, sed etiam Latine loqui doceantur. Quam exercitationem ad discendum sermonem Latinum utilissimum ducimus damusque huius modi docendi exemplum, quod sequitur:

(Littera P significat praeceptorem, ceterae litterae nomina discipulorum)

P. (scholam intrans): Salutem vobis dico plurimam. Surgite!

Discipuli omnes: Salve magister!

P. Salvete et considite! Libros aperite, paginam undesexagesimam! Quid tibi, Carole? Noli iam garrere, quaeso! Attentus sis! Dic, quid legimus proxima lectione!

C. Legimus fabulam de lupo et agno.

P. Ita est. Cuius poetae fabula est?

C. Est Phaedri poetae.

P. Recte. Quid narrat? Tu, Corinna, dic, quid adhuc de fabula scias!

Co. Fabula est de lupo et agno.

P. Quod iam notum est omnibus nostrum. At quid porro? Meministine? Iterumne legisti fabulam domi?

Co. Legi.

P. Ergo paucis verbis dic, quid fabula narret!

Co. Fabula narrat lupum et agnum simul ad rivum eundem venisse potaturos.

P. Recte. Perge, quaeso!

Co. Tum lupum quaesivisse rixam.

P. Ita est. Cur autem rixam quaesivit?

Co. Quia agnum devorare cupivit.

P. Non est dubium. At cur non devoravit statim, sine ambagibus, agnum? Cur rixam quaesivit?

Co. Quia causam iustam devorandi quaesivit.

P. Bene dixisti, sed cur ita?

Co. Re vera ignoro, quoniam lupos veros causas devorandi quaerere non puto.

P. Quidnam devorandi?

Co. Devorandi praedam scilicet.

P. Intellego, Corinna mi, sed cur gerundio usa es neque constructione gerundiva, cum liceat?

Co. Dubitabam, num liceat.

P. Attamen licet, quoniam verbum regit casum accusativum. Repete, quaeso, sententiam usa constructione gerundiva!

Co. Temptabo. In loco devorandi praedam dicam praedae devorandae.

P. Laude dignissima es, recte dixisti. Nunc autem ut revertamur ad quaestionem, unde discessimus: lupi veri, ut dicis, devorandi causas non solent quaerere. Qua autem de causa in fabula lupus causam quaerit? Tu, Paule, qui adhuc tacuisti, quid tibi videtur?

Paul. Mihi poeta non de veris lupis videtur narrare.

P. Non de veris? De quibusnam tandem?

Paul. De lupis fabulosis, ut ita dicam. Fabulae enim numquam de veris bestiis narrant, sed tecte ad homines alludunt, homines, hominum imagines nobis praesentant. Itaque hic lupus quoque non est verus lupus, sed hominem poeta nobis ante oculos ponit

voracem, violentum, sceleratum.

P. Haud erras, mi Paule. Cur autem poeta non hominem inducit dicentem? Tibi, Anna, quid videtur?

A. Mihi videtur de homine isto modo narrari non posse sine offensione.

P. Sine offensione dicis? Sine cuius offensione autem?

A. Hominis nimirum.

P. Hominis? Sed cur homo offendi posset, si hominem poeta faceret dicentem?

A. Offenderetur, quia sceleratum se esse cognosceret.

P. Faxit deus! Sed tibi, Luci, quid videtur?

L. Plane ridiculum mihi videtur esse, quod Anna dixit. Namque homines non agnum comedunt vivum, non comedunt nisi coctum vel tostum.

R. Ne rideam! Istud vere nihil ad rem. Namque utrum vivum an tostum, homines agnos comedunt, et libentissime. Homo rapax et vorax est non minus quam bestiae. Modus tantum edendi differt.

P. Haud irridicule dixisti, mi Ruperte.

R. Peto veniam, magister, non ridicule dicturus eram, sed rem veram et tristem, meo quidem iudicio.

P. Magnifice te defendisti, sed ad fabulam redeamus!

R. Nondum ad fabulam, quaeso, redeamus, magister, sed quod Anna dixit, dignum mihi videtur esse, quod consideremus.

P. Optime mones, paene oblitus eram. Quidnam Anna dixit?

R. Dixit nos homines offendi, si de nobis fabula esset.

P. Estne ita, Anna?

A. Est ita.

Facete lepideque dicta

Iracundiā

Servus fidus bonusque iracundiā domini sui magnis doloribus patiebatur. Itaque hac domo abire volebat, ut locum tolerabiliorem quaereret.

"Cur me relinquere vis?" dominus rogabat. "Nonne hic bene vivis?" "Iracundia tua, domine, toleranda non iam est", servus respondit. "Hem, iracundia mea", dominus ridens dixit, "vix adest, iam fugit."

"Sic est", servus affirmavit, "vera dicis. Sed vix fugit, iam denuo adest."

Tania Bevilacqua, secundo anno Latino convertit.

Clemente Attlee primo ministro Britannico, unus e sociis operis de vita migravit. Mortuus nondum sepultus erat, cum quidam magistratus cupidissimus Clementem Attlee convenit: "Nolles me locum socii mortui operis tui obtinere" rogavit. "Minime", Attlee frigide respondit, "loquere cum vespilone."

Stephanus Schnyder tertio anno Latino convertit.

Napoleonem Bonapartem parva staturā fuisse constat. Aliquando cum librum a forulis altisprehendere vellet, illum autem non contingit - sic narratur - scriba eius industrie accurrit: "Domine, ne studueris", inquit, "ego maior te sum!" Quibus verbis librum a forulisprehendit eumque imperatori dat. Ille autem murmurat: "Non maior, sed longior es."

Claudia Wohlhauser tertio anno Latino convertit.

F. Ego dissentio. Namque si de uno homine scelerato narratur, non omnes nos offendimur. Non omnes nos sumus scelerati.

P. (ridens) Speremus saltem non omne sceleratum esse genus humanum.

M. At Fridericus non intellegit fabularum vim. Fabulae numquam unum hominem tangunt, sed omnes, tangunt genus humanum, ita ut nos tangamur omnes. Propterea re vera omnes tangimur, si isto modo de nobis hominibus narratur. Quamobrem poeta sub specie de bestiis narrat, ne nos offendat, attamen imaginem nostram nobis praesentat.

P. Paene mihi persuasisti, mi Martine. Sed adhuc non nisi de lupo loquimur, cur nihil de agno?

M. De agno mihi videtur dicendum esse nihil. Etenim agnus nihil est nisi victima, nil amplius. Eius exemplum nihil nos potest docere.

P. Nihilne?

M. Profecto nihil nisi a robustioribus debiliores devorari solere.

P. Tuone iudicio fabula condicionem humanam illustrat?

M. Plane. Sine ullo dubio, ut fabulae omnes.

P. Rem tristem dicis, mi Martine.

M. Tristem quidem, sed veram.

Dr. Emanuel Bernard



Magister exclamat: "Este tranquilli! Quotienscumque os aperio, idiota aliqui loqui incipit."

"Videris heri me esse asinum dixisse. Verumne est?"
"Verum est, sed ego non dixi."

Marcellus Knupp tertio anno Latino convertit.

Iocus

Duae gallinae de tertia disputant: "Summa febris vexari videtur", altera cacillat.

"Quare tibi videtur?" altera rogat.
"Iam a nonnullis diebus elixa tantum ova parit."

Danielus Cuculus, secundo anno Latino, convertit.

Iocus

Vir quidam poculum super muscam posuit. Manus fricavit cogitavitque: "Tandem te habeo captam, bestia!" -
"Utrum me habebis an non, in tua intellegentia positum est!" musca summa spe cogitavit.

Bernhardus vir silvestris, secundo anno Latino convertit.

E fontibus sapientiae Iapanensis

Nullum iter longum amico comitante.

Post tres annos, calamitas quoque salubris esse potest.

Fortuna ad ridentes venit.
Patientiam non omittere, etiamsi fieri non posse videtur, haec est patientia!

Iter vel decies centena milia passuum primo gradu incipit.

Iris Wohlhauser, secundo anno Latino convertit.

Neroni cum nuntiatum esset Petronium, amicum suum, dixisse eum imperatorem ambiguum esse, illum capitis damnavit. Petronius autem imperatori subridenter explicavit: "Te ambiguum imperatorem appellavi quod incertum est utrum maior imperator an maior poeta sis." Hoc responsum principem imperatorem vanum tanto gaudio implevit ut ei fiduciam denuo donavit.

Eliana Aebischer tertio anno Latino convertit.

Litterae ad legentes

Nuntius ad legentes ubique terrarum habitantes

Felicissime accipiam inscriptiones cursuales quam maximas Rumorem Varium legentium Latinitatisque cultorum, qui extra Europam vivunt. Optatissimum enim est mihi scribendi commercium habere et pergere Latino sermone et temporibus nostris cum incolis remotissimorum locorum.

Omnes, qui hunc nuntium legunt idemque desiderium habent, rogo ut mihi respondeant litteris.

Inscriptio cursualis mea est haec:

Prof. Florindo di Monaco
Via Michele Monaco 152

I-81054 San Prisco
Caserta/Italia

LUDUS AD EXERCENDAM PATIENTIAM ET AD EXAMINANDAM SCIENTIAM VERSUM LATINORUM

Hoc ludo gaudio afficere poteris amicos tuos et temet ipsum. Facilis est fabricatu.

Hoc tibi procedendum est modo:

I Quaere aliquot (V ad X) poetae Romani versus. Omnes debent habere metrum idem.

Quo discrimine eligas? Quocumque vis. Praeferendi sunt versus qui dent completam sententiam. Si optas ut contineant omnes idem verbum, e.g. "bonus", utere concordantia vel indice verborum.

II Dispone syllabas secundum metrum, hoc modo:

Aen. 7.1 " 6.321 " 6.317	arma vi-	-rumque ca-	-no Troi-	-ae qui	primus ab	oris
	olli	sic brevi-	-ter fata	est long-	aeva sa-	-cerdos
	Aene-	-as mi-	-ratus e-	-nim mo-	tusque tu-	multu

III Commisce partes versuum in ordine verticali, conservando sequentiam pedum. Sequere exemplum:

arma vi-	-as mi-	-ter fata	-nim mo-	primus ab	-cerdos
Aene-	sic brevi-	-no Troi-	est long-	tusque tu-	oris
olli	-rumque ca-	-ratus e-	-ae qui	-aeva sa-	-multu

(optime est si usus eris machina caedendorum characterum)

IV Compara baculum rotundum, ligneum aut carta rigida, paulum longius latitudine cartae qua versus commixtos inscripsisti. Diameter baculi debet esse circa duorum digitorum.


V Metire baculi circumferentiam. Eo habes longitudinem cartae versibus inscriptae dandam.

VI Praepara cartam plasticam, transparentem, glutinatam eadem latitudine et ampliore longitudine quam carta iam memorata.


VII Tege carta plastica cartam inscriptam, ita ut differentia longitudinum cuncta sit ab uno latere:



VIII Divide cartas compositas tonsorio, scinde cultro in pedes versuum, id est verticaliter:



IX Flecte partem quamque circum baculum praeparatum sequendo ordinem pedum. Flecte densius! Cartae transparentis gluten omnia continebit. Intuere figuram:




Finis est! Age, lude: volvendo recompones versus poetarum vel forte invenies novos.

Vale!

AP

Anna Peyer



Christus resurrexit

(Christus ist erstanden)

Christus resurrexit! Sonate, vos, o cantica!
Vivit, qui dat placantia;
paschali agno corona
fit, sustulit qui pessima.
Alleluia, alleluia!

Christus resurrexit! Pugnavit mira acie
tunc vita cum pernicie;
et vivit, qui est mortuus,
is princeps vitae, dominus.
Alleluia, alleluia!

Christus resurrexit! O Magdalena, nuntia,
vidisti quae miracula.
"Sepulcrum vidi vacuum
et resurgentem dominum!
Alleluia, alleluia!

Christus resurrexit! Et vidi Dei angelum
sepulcri stantem ad labrum,
texerunt quo, amiculum
inveni, heri dominum.
Alleluia, alleluia!

Christus resurrexit! Reliquit mortis tumulum,
spei meae qui est baculum.
In Galilaeam ibit nunc,
discipuli, sequamur hunc!"
Alleluia, alleluia!

Christus resurrexit! Vicisse scimus dominum
et mortem et diabolum.
O victor, rex, nos tu sana
tua misericordia!
Alleluia, alleluia!

Martinus Meier

Aenigma

Q V A D R A T V M M A G I C V M

1. heros, qui condidit
Albam Longam
2. aufer nucleum!
3. non ullos
4. parvum poema
5. rationis expers
(Nom., Sg., neutr.)
6. planta apta ad oleum
premendum

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

Hoc aenigma composuit Sabina Szidat.

Solutiones aenigmatis, quod vobis in RUMORE VARIO
1+2/83 proposuimus, hic demonstrantur:

1	2	3	4
L	U	N	A
2			
U	D	A	M
3			
N	A	T	A
4			
A	M	A	S



De Bratislava Urbe nationis Slovacae

Quinto vel sexto saeculo p.Ch.n. in fines hodiernae Urbis nationis Slovacae incolae primi Sloveniae gentis venerunt. Ineunte Christiano saeculo primo Romani in via apud Danuvium ducta viaque cui nomen Sucini/Electronis/erat, muri ducti, qui temporibus nostris sub arce Bratislavensi cernuntur.

Nono saeculo p.Ch.n. regnis Privigni/Pribinae et Moimiri coniunctis imperium Moravia Magna appellatum factum, cuius in dicionem castra magna apud Devin/Theben/et Bratislavam/Posonium/venerunt.

Decimo saeculo p.Ch.n. arx Bratislavensis in Regno Hungarico nota imprimis erat. Urbs quarto decimo saeculo rebus opificum commercioque aucta et fabricatione vinorum nota est. Curiis habitationibusque ducum exstructis regiaque Urbis aedificata. Rege Mathea Corvino anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto Academia Istropolitana constituta est.

Invasione Turcorum Bratislava anno millesimo quingentesimo tricesimo sexto sedes Consilii Hungarici atque coronae inductionis regum facta.

Ludovico Štúr, viro in rebus politicis agente, adventu, anno millesimo octingentesimo, vita Slovaca in rebus politicis atque ad culturam vergentibus formari coepit. Industriae incrementis provehentibus et actio fabrorum corroboratur. Secundo bello universi terrarum orbis, temporibus illis miserrimis, commotio ad unionem Slovacorum cum Bohemis in unam Rem publicam incipit. Mense Aprili anni millesimi nongentesimi quadragiesimi quinti milites Unionis Sovieticae socialisticae urbem Bratislavam liberaverunt. Re publica libera Bohemoslovaca constituta Bratislava est caput vitae politicae culturalisque Slovacorum.

Temporibus nostris in Bratislava extensionem vitae urbanae observamus, industriis evolvendis, litteris artibusque colendis, rationibus medendi propagandis omnino vita civium felicior fit.

Multos annos cives urbem Bratislavam aedificabant et construebant. Multa praeclara monumenta historiae eius exstant quae visitatores orbis terrarum videre velint. Quae de causa urbem apud Danuvium sitam frequentant. Cura urbis monumenta historiae restaurantur, ad memoriam progeniei conservantur.

Vojtech Letko

TRAGOEDIA

BENITI MUSSOLINI

Scriptit : Plinius Prioreschi

In Latinum converterunt: Ernestus Brehm
Thomas Coffea
Plinius Prioreschi

Copyright by P. Prioreschi 1978

ACTUS III

Scaena I

Cenaculum antiqui castelli in Germania. Mussolini, Domina Rachel, Galeatius Ciano, Edda et duo filii Beniti Mussolini, Victorius et Romanus (circa viginti et quindecim annos nati) cenant. Stator militaris exercitus Germanici, tunica manicisque(1) albis ornatus, ministrat.

Romanus : (ad Mussolini) Pater, putasne Adulfum Hitler numisma centurioni Skorzeny daturum?

Mussolini : Fortasse.

Domina Rachel: Commeret magnum. Enim vero, etsi numquam eos amavi.....(ad statorem) scisne linguam Italiam?

Stator : Es tut mir leid, gnädige Frau, ich spreche nur Deutsch.

Domina Rachel: Bene! Ut dicebam, etsi nunquam multum Germanos dilexi, mihi tamen placeret unicuique osculum dare. Centurio.....quidquid eius nomen sit.... duo numismata commeret. Liberavit patrem vestrum ex faucibus illorum ineptorum criminorum.... ne sciunt quidem custodire captum, tamen Italiae imperare volunt.

Romanus : Rex mareschalum Badoglio calcibus verberavit.... (ridet)

Victorius : Nonnulli Germani omnes Italos custodes vincere potuerunt....id mirabile esse puto....

Romanus : Quia custodes volebant patrem liberum esse....

Victorius : Eis imperatum erat captivum custodire....sine pugna concesserunt....profecto in hoc casu gaudeo....sed more solito....pauci Germani cohortem Italarum vincere possunt....

Romanus : Ita non est! Custodes volebant patrem liberum esse....

Victorius : Erras! Concesserunt!

Mussolini : Custodes inopinantes deprehensi sunt....si inopinantes....difficillimum esset....fortasse eorum praefectus etiam Fascista erat....nondum tempus mihi mansit ad rem comperiendam.... sed comperiam.

Domina Rachel: (ad Victorium) Dicit tamquam maluisses Germanos patrem tuum liberare non potuisse....

Victorius : Ita non est, dico....nostri milites....facile concesserunt....

Mussolini : (ad Dominam Rachel) Scio quid in animo habeat. Ipse concurro....

Domina Rachel: Sane sermonem vestrum non intellego....videmini dolore rem bene evenisse....eventus rei refert. Gratiam agite quod nemo vulneratus est et iterum cuncti sumus (pausa).

Romanus : (ad Ciano) Quid nunc facies, Galeati?

Edda : Quid significas?

Romanus : Audivi multos eum odisse....

Edda : Quis hoc tibi dixit?

Romanus : Quidam amici mei....indicant suffragium(2) suam contra patrem causam esse....

Domina Rachel: Credo bene esse liberos adultis curam talium rerum relinquere.

Edda : Aliane audivisti?

Romanus : Solum aliquos ei iratos esse.

Ciano : Ita est, id scio....credo melius mihi esse ad frontem ire. Columnellus(3) classis aëreae sum..

Romanus : Eris cum ala bombardaria aut venatoria?

Ciano : (surridens) Adhuc non scio.

Victorius : Intellego Germanos novum aeroplanum venatorium habere....

Edda : Vellem scire qui irati Galeatio sint aut cur.

Victorius : Cum amicis suis loquitur...pueri sunt.

Edda : Nunc inimici eius exultabunt, ego ipse rumores audivi....Germani etiam....

Ciano : Nemo tamen me accusare poterit Fascistam ac Italum non esse.

Edda : Pater....audivistine aliquid?...Quid Germani volunt?

Mussolini : Vix hic locus et tempus ad problema disserendum.

Edda : Prioribus diebus tibi loqui conata sum, sed semper negotiosus es.

Mussolini : Rem tempore apto disseremus.

Domina Rachel: (post pausam) Spero nos in Italiam mox redire posse. Germani affabiles fuerunt, sed cum meis esse malo.

Mussolini : Mox in Italiam revertemur.

Domina Rachel: Hoc mihi gratum.

Romanus : (ad Ciano) Si ego tu essem, cum aliis venatoriis irem.

Victorius : Fortasse aeroplana reactiva(4) mox parata erunt.

Edda : Victori te semper cum Germanis ac Fascistis coniungis, quid audivisti de Galeatio?

Victorius : Fere nihil.

Edda : Quid audivisti?

Victorius : Germani non multum dicunt....

Edda : Et Fascistae?

Victorius : Nonnulli irati sunt....

Ciano : Dicunt me proditorem esse, nonne?

Victorius : Aliqui, irati, verbis fortibus utuntur....

Ciano : Differentiam inter disciplinam, disputationem ac dissentionem in ratione efficienda non intellegunt. Officium meum erat....honestum esse.... opinionem meam exprimere....

Domina Rachel: Rex parvus miserque, tamen, suffragio Magni Concilii Fascismi usus est ad eum facile deprehendum.

Edda : Si necesse usus esset praetexto alio. Rex occasionem ad alteram partem converti exspectabat.

Domina Rachel: Non video cur hanc occasionem a genero meo dari opus esset....

Edda : Galeatius fecit quod, illo tempore, putavit iustum.

Victorius : Fortasse non omnes Fascistae Galeatio irati sunt. problemata alia sunt....bellum non bene procedit....

Romanus : Cum nova arma parata sint, Germani Russos Americanosque extinguunt.

Edda : Spero Galeatium saltem in familia nostra favorem nonnullum inventurum. Paratus est ad frontem ire,

nonne hoc satis? Quid volunt, eum in carcerem conicere? Generum Ducis? Nosne Borgia esse putant? Cognosco eos qui ut Galeatius puniatur clamant, eos cognosco! Illos paucos qui eius officio et intellecto invidabant. Credunt nunc occasionem ultionis adesse. Spero nos ludibrium mundi non fieri propter incarcerationem Galeatii aut aliquid....vidi nonnullos amplos Germanos Galeatium vitare....bene....videamus qui amici et qui inimici sint....spero inter tantas deceptiones nos non statuturos optimam solutionem castigationem sincerorum esse.

Domina Rachel: Quantam deceptionem et imperitiam! Videtur bellum illas nudavisse. Badoglio magnus marschallus(5), parvus Rex, imperator factus, et ceteri qui Fascismo usi sunt ut ipsi magni fierent, omnes deceperunt. Ille qui eos magnos et potentes fecit in carcerem coniectus est. Tamen, etiam deceptionem eius confuderunt. Deo gratias. Eorum imperitia tam magna est quam capacitas decipiendi....

Edda : Si omnes, ut Galeatius, semper sinceri fuissent. .nec imperitiae accusari potest....

Domina Rachel: De parvo Rege atque de Badoglio loquebar.... nunc Galeatius membrum familiae est....non intellexit....quamvis debuisset....eos illo suffragio usuros esse....

Edda : Quomodo praevideret....

Victorius : Ianuam claudamus. Pergo videre praefectos Germanos capita in conclave porrigentes...

Domina Rachel: Ita. Egomet hoc vidi. Quid volunt? Mira animalia in horto zoologico non sumus....

Ciano : Puto omnes oculis suis videre velle Ducem in eadem mensa edentem cum genero proditori.

Edda : Non mirarer si tam stulti essent.

Victorius : Multi Italice loquuntur, caveamus sermonem nostrum.

Romanus : Quare? Nostri socii sunt. Nihil celandum habemus.


Mussolini : (Exsurgens) Ignoscatis mihi, negotiosus sum. (Ad ianuam it)

Edda : Pater, quando mihi licebit ad te colloquendum ire?

Mussolini : Faciam ut scias.

SIPARIUM

- | | |
|--------------------------|--------------|
| (1) manicae, -arum | gloves |
| (2) suffragium, -ii | vote |
| (3) Columnellus, -i | Colonel |
| (4) aeroplanum rectorium | jet airplane |
| (5) Mareschalus | Marshal |



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONO DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam infra
stantem.
(ich abonniere RVMOR VARIVS
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift:

für

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

3+4/83

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXIII



RVMOR VARIVS



TOMUS 6

FASC. 40